[1.]

D. SALOMO CONSTANTINVS TITIVS

ORDINIS MEDICORVM WITTEBERGENSIS

H. T.

DECANVS

PANEGYRIN MEDICAM

A. D. 25. SEPTBR. 1795.

A

CAROLO FRIDERICO SEEBVRG

SCHKEVDITZIO - MARTISBVRGICO

MEDICINAE CANDIDATO

H. L. Q. C.

HABENDAM

INDICIT.

Experimentorum Ticinensium, in quibus Diabeticorum vrina sub examen vocatur, enarratio cum epicrisi.

PROLVSIO IIII.

Senioris aegroti, de quo D. HOME refert, vrina, colore pallido, sero lactis simili, parum vel nihil sedimenti habuit. Sapor vere dulcis; ad extracti consistentiam redacta quaeuis vrinae libra, vnciam vnam cum semisse substantiae fuscae, saccharo similis, saporis leniter salsi, dedit. Nec acido vitrioli, nec calore, coagulatur vrina. Fecum additamento mox fermentatio, quae post triduum absoluta, omnem dulcedinem in saporem cereuisiae conuertit. Vbi quiete reposita fuit, post 13 dies, quibus aegroti reconualescentis vrina iam corrupta erat, mucum tensum, crassum, ad superficiem eiecit; vndecim diebus post, vrina diabetici saporem odoremque paullo putridum contraxerat, reconualescentis autem prorsus computruit. In sanguine huius aegroti nihil, quod a natura aberraret, nec serum dulce, obseruatum est.

Lotium iunioris aegroti recens, colorem habuit citrinum, dilutum, odorem consuetum, saporem dulcem. Libra eiusdem, extracti spissitatem nacta, substantiae fuscae, saccharo crudo similis, vnciam vnam dedit, cuius odor saccharinus cum vrinoso mixtus, sapor ex dulci salinus. Ex eadem neque calore, neque acido sulphuris concentrato, coagulum educi potuit. Fermento addito in fluidum abiit, quod cereuisiam paullo saturatiorem aemulatur. Corruptione spontanea in conclaui calidiore, exactis decem diebus, lotium mutatur, spumam copiose, et vesiculas eiicit, aliaque fermentationis vinosae signa, instar cereuisiae vappidae, odore et sapore prodit. Sanguis incisa vena missus, atque duplici vase exceptus, in posteriore crustam inflammatoriam fecit. Alio tempore idem obseruatum est phaenomenon; serum quoque salsum.

Hinc



Hinc pleraque phaenomena, quibus vrina horum aegrotorum a ſana differt, cuiusmodi ſunt: color ſero lactis ſimilis, ſapor dulcis, niſus in fermentationem vinoſam atque acidam, ab inſigni partium ſaccharinarum copia deriuanda eſſe, D. Home, non ſine ratione, contendit. Praeter hoc ſal dulce, alia adhuc ſalia, ſapore dignoſcenda, vrinae inhaerent, vt muriatum et ammoniaci et ſodae, quae repetita ſolutione et cryſtalliſatione ſeiungi potuerunt. Particulae lymphaticae nullae. Putredo in ſanorum vrina celerior, in diabeticorum tardior, ex maiori principiorum ſaccharino-mucoſorum copia, oriunda videtur. Cauſam vero, cur ſecundi aegroti vrina longe manifeſtiora fermentationis vinoſae et acetoſae indicia, quam primi ederet, temperiei calidiori, quae fermentationi magis fauet, anni tempeſtati, et maiori vrini quantitati, tribuit.

Thom. Cawley (*in London Medical Journal. 1788. p. 286. überſetzt Samml. f. prakt. Aerzte B. 13. St. 1. S. 113.*) hiſtoriam morbi diabetici, viri mediae aetatis, refert, qui vegetus antea, viribus inſigniter debilitari coepit, copia vrinae minime aucta. Poſt dimidium fere annum, cum vrina dulcior facta, fecum ope in fermentationem abiret, atque poſt euaporationem, extracti mucilaginoſi dulcis vncias quinque aut ſex, in libris duabus, relinqueret, de natura morbi medici certiores fuerunt redditi. Haec vero particularum ſaccharinarum copia, ſub finem morbi ſenſim decreuit, vt in libris duabus vix vncia vna et ſemis ſubſtantiae extractiuae ſupereſſet. Vltimis tribus ante mortem diebus, vrinae quantitas ita fuit aucta, vt vix retineri amplius poſſet, color quoque, antea lucide flauus, obſcurior factus, naturali ſimilis. Quae in vrina hac, quam aegrotus medio quaſi morbo emittebat, ſuſcepta fuerunt tentamina, iam nunc enarranda veniunt.

Haec, ſapore dulceſcente, in ſuperficie nil oleoſi praebuit. In loco calido aſſeruata, poſt duas aut tres horas, odorem acidum diſpergit, mox in vinoſam, deinde acidam fermentationem abit, qua multum acidi carbonarii emittitur. Nubecula per mediam vrinam collecta, albo cadens ſedimento diſcutitur. Haec quidem phaenomena plane Dobſonianis tentaminibus conueniunt. Vrina autem, nec acido

acido ſulphuris, nec cineribus clauellatis, mutata, nec odor ammoniacalis euolutus fuit. Igne inſpiſſata, leuiculum odorem vrinoſum, qui vix in extracto, quin in quadam illius parte, minime ſentiebatur, diffundit. Exigua huius extracti portio, aqua ſubito quidem, ſpiritu autem vini minime ſoluebatur, eundem haud tinxit, ſed mox in puluerem, facile conterendum, conuertitur.

Tentamina haec, etſi manca atque ad partium, quae lotium diabetici huius conſtituunt, cognitionem, vix apta videntur, exiguam tamen ſacchari quantitatem, cum quibusdam particulis extractiuis, nec non ſalis quicquam ammoniaci, per inſpiſſationem demum in conſpectum prodeuntis, eidem inhaerere, ſatis certo docent.

Illa quidem, quae celebris Gallus Fovrcroy (*Medécine éclairée* Tom. I. pag. 149.) quem Cl. Plovcqvet (in *Bibliotheca medicinae practicae* Tom. II. p. 719.) laudat, ſuis tentaminibus expertus eſt, hoc loco afferre, mihi tantum in optatis eſt, cum non ſolum libro ipſe carerem, ſed in illis, quae ad manus fuerunt, diariis litterariis, illius recenſum agentibus, imo in translationis germanicae cura Hvfelandii et Goettlingii Vir. Cl. de hoc libro editis hactenus faſciculis (*Aufklärungen der Arzneywiſſ. Weimar 1793.*), eiusdem experimenti et argumenti, vllam quidem mentionem factam eſſe, haud legerem.

Ne inſiſtam hoc loco, quod nimis eſſet longum, ceteris id genus, quae forte ſuperſint de vrinae experimentis explicandis, illa quidem, antequam generatim iudicium ferri poſſit, quae vrinam ſanorum explorant, atque quid a morbo vitiata differat, oſtendunt, excutienda ſunt. In huius quidem analyſi Marabellivm primo ſequamur, qui eodem, quo diabeticorum, ſani quoque hominis vrinam, tempore, curatioris comparationis cauſſa, pertentauit.

Exp. 17. Limpida haec, colore citroſo, ſapore ſalſo, paullulum amaro, odore ſubacido fuit, acidumque phoſphoricum ſolutum prodidit; per mercurii nitrati ſolutionem, roſei coloris ſubſidentia habuit magna copia, atque calori atmoſphaerico expoſita, fermentationis vinoſae, aut acoris aucti, nulla ſigna dedit, poſt tres autem dies penitus putris facta eſt.



Exp. 18. Euaporatione cum ſyrupi inſtar conſiſteret, ſubſtantiam nigram odoris ammoniacalis, ſalſam, acrem, amaram, repraeſentauit, in qua cryſtalli copioſiores, materiis heterogeneis miſtae, ſenſimque numero auctae, conſpiciebantur. Liquor refrigefactus, cryſtallis, omnique alia miſcela plane privatus, erat quidem fluidiſſimus, ſed extracti inſtar tenacitatem exhalatione nactus, copioſiorem fumum, et odorem admodum ingratum, foetidum, inter comburendum difflauit; atque poſt digeſtionem nigrore vini ſpiritum tinxit, qui aqua amplius haud decomponi potuit.

Exp. 19. Alia vrinae huius portio, poſtquam vaporatione in extractum coierat, acido nitri, vt in priſtinis tentaminibus, et aliis ſubſidiis chemicis, explorata, longe maiorem, quam in diabeticorum vrina, ſalis muriati ſodae, et ſubſtantiae extractiuo - ſaponaceae, quantitatem praebuit; parum cinerum clauellatorum, acido ſulphurico et muriatico iunctorum, ſal phoſphoratum et ſodae et ammoniaci, atque nonnihil ferri.

Itaque in ſani hominis vrina, atque in illa diabetis inſipidi, magnam qualitatum conuenientiam, ſed in diabetis melliti inſignem diſcrepantiam eſſe, ex dictis maxime patet.

Plura; eaque acriori limanda iudicio, ſuperſunt, quae quidem labori huic proximo deſtinauimus. Nunc enim ratio habenda eſt Candidati Digniſſimi,

VIRI PRAENOBILISSIMI, DOCTISSIMI,

CAROLI FRIDERICI SEEBVRG

SCHKEVDITZIENSIS,

qui vtriusque artis ſalutaris ſtudio, quatenus tam circa externas, quam internas corporis humani partes occupatur, per plures annos, optimorum ductu praeceptorum et conſilio, operatus eſt. Quanta inprimis dexteritate in chirurgicis verſetur operibus, cum Ipſius Diſſertatio egregio nobis documento eſſe poſſit: non minori medicinae interio-

ris

ris cognitione instructum esse, laudatissima Ordini nostro edita specimina, quibus Se summis, quod modeste petiit, honoribus, dignissimum praestitit, comprobant. Quomodo praeparatus sit, ex Ipsius vitae cursu breuiter, vti moris est, exponendo, patebit.

Ego, CAROLVS FRIDERICVS SEEBVRG, *Schkeuditzii natus sum, die 21. Sept. Anno 1761. a Patre* SAMVELE CHRISTOPHORO, *Chirurgo publico iurato, Matre vero* CHARLOTTA CONCORDIA *e gente* OTTONVM. *Quibus parentibus optime de me promeritis, at proh dolor! morte iam mihi ereptis, debitas piasque consecro lacrymas. Fundamenta religionis apud me posuit Cl.* HORDORF, *Cantor Schkeuditzii, litterarum autem humaniorum prima elementa mihi tradidit Cl.* SCHERBER, *Scholae patriae Rector. Anno 1775. a Patre primam in chirurgia accepi institutionem, cuius exercendae etiam Ipsius ductu optimam nactus sum occasionem. Quo maiores in chirurgicis et anatomicis lectionibus progressus facerem, anno 1782. Lipsiam adii, ibique praelectiones chirurgicas b.* KRAVSII, *anatomicas b.* BOSII *et b.* WERNERI, *Prosectoris, audiui, materiam vero medicam et chirurgicam b. D.* FREY *cursumque operationum chirurgicarum b.* HEBENSTREIT *explicarunt. Anno 1785. Lectiones medico-chirurgicas, theoreticas et practicas, quae Dresdae habentur, frequentaui, in quibus sequentium praeceptorum Experientissimorum memoriam semper grata mente colam, nimirum b.* PITSCHELII, HAENELII, DEMIANI, GERSHEMII, *b.* MEYTERI, *b.* WAGNERI, TITII, *Chirurgiae exercitium docuit Dn.* WILD, *Chirurgus supremus exercituum Saxonicorum. Anno 1787. mandatum mihi est munus Chirurgi militaris in Legione pedestri von* LIND, *quo etiam per septem et dimidium annum Schneebergae, Plauiae, et Zwiccauiae functus sum. More consueto anno 1792. Dresdam, vt ibidem denuo repeterem lectiones, missus, iisdem doctoribus vsus sum, et insuper Dn.* WEISSIO, *Magistro scholae obstetriciae, quae Dresdae floret, dexterrimo, atque* OHLIO, *Prosectore Theatri anat. Dresdani, iam Chirurgo supremo Legionis pedestris de* NIESEMEVSCHEL. *Anno 1794. cum laude a Legione dimissus, Lipsiam iterum adii, ibi ab Acad. Rect. Magnifico Dn.* ARNDT *in numerum civium academicorum receptus: Praelectiones in philosophia, chemia, anatomia, physiologia, et reliquis medicinae parti-*



partibus, Viror. Excellentiſſ. atque Experient. nimirum Platneri, Echenbachii, Haasii, *et inprimis* Hebenstreitii, *ex cuius ore omnem fere medicinae interioris cognitionem hauſi, maximam mihi attulerunt utilitatem. Hoc ipſo demum anno d. 23. Maji Vir Magnific. Illuſtris* Hommelivs *me inſeruit albo huius Academiae Vitebergenſis. Ab eo inde tempore praelectiones a Praeceptoribus Optimis habitas adii, nimirum a* Boehmero *in Therapia tam generali quam ſpeciali*, Titii *in Chemia ac medicina forenſi, quibus ideo maximas ago ſemperque habebo gratias, apud quos Ipſos, Ordinis Medici Aſſeſſores, tentamina conſueta ſubii, iamque in eo ſum, vt ſummos in vtraque arte capiam honores.*

Praeſtitis ergo omnibus, quae, peragenda erant, antequam ſummos, quos petiit, honores ferre poſſit Candidatus noſter, nihil amplius reſtat, quam vt diſſertationem ſuam, *Exſtirpatio oſſis humeri, exemplo felici comprobata*, a Se elaboratam, publice, Meo praeſidio, defendat. Cui ſolemnitati deſtinatus eſt dies Veneris d. 25. Septbr. atque hunc actum diſputatorium vt ſua praeſentia ſplendidiorem facere beneuole velint, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, Comites Illvstrissimos, Gravissimos vtrivsqve reipvblicae proceres, nec non Generosissimos et Praenobilissimos Vniversitatis nostrae Cives, omnesqve omnino literarvm favtores; iam et Ordinis mei, et Candidati nomine, perofficioſe oro, rogoque.

P. P. Dom. 16. poſt Feſt. Trinit. 1795.

